

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**M. Tullius Cicero Mannvciorm Commentariis Illvstratvs  
antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens Orationum Volumen Primum

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiiis, 1583**

In Orationem Ciceronis Pro Q Roscio Pavlli Manvtii Commentarivs.  
Argvmentvm

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764059](#)

# IN. ORATIONEM CICERONIS

PRO. Q. ROSC. COMOEDO

PAVLLI. MANVTII

COMMENTARIUS



## ARGUMENTVM

RADIDIT *C. Fannius Cherea* *Q. Roscio*, communemq. cum eo fecit seruum suum *Panurgum*, ea condicione, ut illum arte histriónica erudiret, deinde quaestus communis esset. aliquanto post *Q. Flauium* quidam Tarquinensis *Panurgum* occidit. *Flauium Roscius* iudicio persequi cum uellet, cognitorem in eam rem *Fannium* dedit. lite contestata, iudicio damni iniuria constituto, decidit cum *Flauio Roscius*, ut ipse aiebat, pro sua parte; ut *Fannius*, pro tota societate; fundum accepit, non pecuniam. Post aliquot annos *Roscium Fannius* arbitrum adegit. arbiter fuit idem, qui in hac causa iudex est, *C. Calpurnius Piso*. is de re sententiam non tulit, sed *Roscium* rogauit, ut *Fannio* pro labore, quod cognitor fuisset, quod uadimonia obisset, H-S CCC 100 daret, cum eo tamen, ut *Fannius* repromitteret, ac restipularetur, si quid exegisset a *Flauio*, partem eius dimidiā se *Roscio* daturum. Spondit ita se fakturum *Fannius*: deinde *Flauio* litem intendit. iudex fuit *C. Cluuius*, eques Romanus. eius sententia *Flauius* H-S CCC 100 Panurgi nomine *Fannio* dissoluit. cuius pecuniae pars dimidia, cum ex restipulatione *Roscio* deberetur: tamen tantum abest, ut ei quidquam *Fannius* dederit, ut eum etiam in iudicium uocauerit, tamquam sua parte in ueteri illa decisione fraudatus. aestimabat enim fundum, quem a *Flauio Roscius* acceperat, H-S CCC 100: inde petebat H-S 100: quasi *Roscii* pro societate, non pro se tantum, decidisset. in quo lis tota uertitur. Et hoc maxime argumento ad criminationem *Fannij* refellendam Cicero utitur, quod is, accepta a *Roscio* pecunia, quia cognitor eius fuerat, repromisisset, & restipulatus esset, si quid a *Flauio* exegisset, dimidium ei se daturum. quo sibi nullam a *Roscio* ex ueteri decisione deberi pecuniam indicauit. Acta causa uidetur post Aureliam legem, quae Pompeio & Crasso cos. iudicandi potestatem restituit equitibus Romanis. nam ante, quam *Fannius Roscius* in iudicium uocauit, iudex fuerat inter *Fannium* & *Flauium* *C. Cluuius*. De anno, iure dubitatur. nam, si est acta post Aureliam legem, unus ei assignandus est ex tribus annis, qui sunt ante consulem *C. Pisonem*, qui hac in causa iudex est. anno primo, quo lex Aurelia fertur, id est Pompeio & Crasso cos. acta non uidetur. nam, cum dicat Cicero, *Flauium iampridem esse mortuum*, qui cum *Fannio* litigauerat ad iudicem *Cluuium*: fieri non potest, ut eodem anno *Fannius* cum *Flauio* ad iudicem *Cluuium*, & cum *Roscio* ad iudicem *Pisonem* litigauerit. Sequitur annus *Hortensio* & *Metello* cos. quo anno cum aedilis cur. Cicero fuerit, uerisimile non uidetur, priuatam causam in illo magistratu eum agere uoluisse.

I. De tertio

De tertio anno, quo Metellus, & Rex consulatum gesserunt, facile crediderim. nam qui post hunc sequitur, eo consul fuit C. Piso, huius causae index. qui uero post Pisone sequitur, eo praetoram Cicero gessit, ut Rosciū causam omnino agere non potuerit. post praeturam uero suam non dixisset Cicero, Magis mea adolescentia indiget illorum bona existimatione, quam illorum seuerissima senectus desiderat meam laudem. Quae si dicantur L. Metello, & Rege cos. biennio ante Ciceronem praetorem, ferri posunt. ijs enim consulibus annum aetatis XXXIX. Cicero agebat. qua aetate alios quoque appellatos esse adolescentes, alibi docuimus.



# M·T·VLLI· CICERONIS PRO·Q·ROSCIO·COMOEDO ORATIO. III

Multa, quae desunt, quaerenda.

multiam naturae, crederetur. is scilicet vir optimus, & singulari fide praeditus, in suo iudicio tabulis suis testibus uti conatur. solent fere dicere, qui per tabulas homini pecuniam expensam tulerunt: ego ne talen virum corrumperem potui, ut mea causa falsam in codicem referret? exspecto, quam mox Cherea hac oratione utatur: ego ne hanc manum, plenam perfidiae, & hos digitos meos impellere potui, ut falsum perscriberem nomen? quod, si ille suas proferet tabulas, proferet suas quoque Roscius. erit in illius tabulis hoc nomen: at in huic non erit. cur potius illius, quam huic, credetur? scripsisset ille, si non iussu huic expensum tulisset? non scripsisset hic, quod sibi expensum ferri iussisset? nam, quemadmodum turpe est scribere, quod non debetur: sic improbum est non refere, quod debeas. aequae enim tabulae condemnantur eius, qui uerum non retulit; & eius, qui falsum perscripsit. Sed ego, copia & facilitate causae consenserim, uide, quo progrediar. si tabulas C. Fannius acce-

pti & expensi profert suas, in suam rem, suo arbitratu scriptas: quo minus secundum illum iudicetis, non recuso. quis hoc frater fratri, quis parens filio tribuit, ut, quodecumque retulisset, id ratum haberet? ratum habebit Roscius, profer. quod tibi fuerit persuasum, huic erit persuasum: quod tibi fuerit probatum, huic erit probatum. paullo ante a M. Perperna, P. Saturi, tabulas poscebemus: nunc tuas, C. Fanni Cherea, solius flagitamus: & quo minus secundum eas lis detur, non recusamus. quid ita non profers? non conficit tabulas? immo diligissime. non refert parua nomina in codices? immo omnes summas. leue, & tenui hoc nomen HS CCC 1000 sunt? quo modo tibi tanta pecunia extraordinaria iacet? quo modo H-S CCC 1000 in codice accepti & expensi non sunt? pro dij immortales, esse ne quemquam tanta audacia praeditum, qui, quod nomen restringere in tabulas timeat, id petere audeat? quod in codicem iniuratus referre noluit, id iurare in item non dubitet: quod sibi probare non possit, id persuadere alteri conetur?

## EXPLANATIO



S SCILICET vir optimus, § ironia in Cheream: cuius tabulis Cicero fidem abrogat, quia, quae in iudicium tabulae proferuntur, ut ijs testibus aliquid probetur, eas opportet a uiro optimo, & singulari fide praedito, scriptas esse. PECVNIA expensam tulerunt: § debitorem aliquem fecerunt. HOC NOMEN § HS CCC 1000, eiusq. pecuniae d imidium Roscio expensum. NON ERIT. § cur enim, quam suam esse pecuniam crederet, eius dimidium Chereae ferret acceptum? IVSSV huic § quasi dixisset Chereae Roscius, communem illam pecuniam esse; eumq. nomen illud in suas tabulas referre iussisset. quod si uerum esset: certe in suas quoque tabulas nomen idem Roscius retulisset. non retulit: ergo non suo iussu retulit Cherea. QVOD non debebatur: § hoc ad Cheream pertinet. QVOD debebas. § hoc ad Roscium. QVI uerum non retulit: § qui, cum aliquid deberet, id acceptum in tabulas non retulit, in quo peccasset Roscius, si Cherea debuisset. QVI falsum perscripsit. § qui retulit in tabulas expensum, quod sibi non debebatur. IN SVAM rem, suo arbitratu scriptas: § in quibus Cherea scriperit, expensa Roscio HS 1000. A M. PERPERNA § hic sedebat in consilio C. Pisonis: non placet igitur dici, P. Saturij tabulas a M. Perperna petitas esse. cur enim ab hoc potius quam a Pisone? quem consilio praefuisse, infra ostenditur his uerbis: Tu, C. Piso, tali fide, uirtute, grauitate, auctoritate ornatus, ex aduersariis pecuniam petere non auderes. Et paullo post: Vtinam sedeleret in consilio C. Pisonis ipse C. Piso est. Et: Index est is, quem nos non minus bene de nobis existimare, quam secundum nos indicare uelimus. Et alibi. Malim igitur, deleta praepositione, A, M. Perperna iocandi casu dictum est, aut, si ne sic quidem, unum appellari iudicem sine Pisone, placet; aut haec subita a Perperna ad Cheream conuersio sermonis offendit, quae nec meis auribus, ut ingenue fatear, grata admodum accidit: legatur sane, A M. Perperna, dum ab eo non tamquam a iudice, sed tamquam a Rosciis pariter & Chereae amico, extra iudicium petitas esse tabulas putemus. Huius autem Perpernae familiam, cum diu diligenterq. perquisierim, adhuc tamen ignoro. P. SATVR I § Saturij, legendum constat. is patronus erat Chereae: cuius cum tabulae poscebantur, nomen aliquod in ijs, quod Chereae tabulas reselleret, reperi posse putabatur. TVAS solius § antiqua locutio. Terentius in Heaut. Tot mea

Soli solliciti sunt causa, ut me unum expleant?

In Vatinium: Ciuitatis salutem cum mea unius salute coniunctam? In Pisonem: Iurauit, rem. atque hanc urbem mea unius opera esse saluam. FLAGITAMVS. § ante poscebamus, nunc flagitamus: maiore enim studio petendum, quod ad detegendam Chereac improbitatem uel maxime pertinet. LIS DETVR, § iudicetur, decernatur. Valer. Max. lib. II. cap. 3. Lutati, quamuis adhuc tacueris, secundum te item do, Gellius lib. V.c. 10. Si contra te lis data erit. EXTRAORDINARIA § neglecta nullo ordine. IACET: § a te negligitur, quasi leue quoddam ac tenue nomen. TIMEAT, § quasi falsum. timuit, inquit, ne suis ex tabulis falsi condemnaretur. IVRARE in item § litis causa, ad item obtinendam.

I 2 ORAT.